

1624.

1. Eichrodus, Johannes: De pupillis ablatione et  
obligatione

1642

1. Koenig, Reinhardus: De academiis Europaeis et  
earumdem fundatoribus

1644

f. Bucholtz, Christophorus Trachinus: De lege Aquilia

1650.

1. Bucholtz, Christophorus Trachinus: De juris Dictione

1651.

1. Brandes, Joannes Martini: De rescriptis moratoris

1653.

1. Musaeus, Petrus: De antiqua Germanorum republica

2. Pestels, David: De judiciis austriacis

1655

1. Brandes, Joannes Martini: De jure feudali.

1655

2. Warners, Wichmannus: De publicis iudiciis

1657

1<sup>a</sup> = Buchaly, Aristophan Tractatus: De pignorationibus  
tam inter status imperii solos, quam inter  
status imperii, et mediatum, seu inter solos  
mediatos 25 num. 1657? 1730

1658.

1<sup>a</sup> = Brandes, Joh. Martinus: De nullo. 25 num.

2. Brandes, Johannes Martinus: De iuramento vasallitico

3. Brandes, Johannes Martinus: De fiare constituti

4. Brandes, Christianus Tractatus: De operis uovi nunciatione  
predecessorii  
1659.

1. Pestelius, David: De fidejussoribus.

lio  
li  
d



1  
2  
1  
1  
1  
2  
3  
4  
5

*[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.]*











5573



Disputatio Juridica Inauguralis

DE

RESCRIPTIS

MORATORIIS,

Exhibens Decadem Conclusionum

Theorico-practicabilium

QUAM

DEO PROSPERANTE

Ex Decreto & Auctoritate Magnifici & Nobilissimi

Jctorum Collegij in Illustri Academia Hasso-Cassellanâ Schaumburgicâ

P R Æ S I D E

Clarissimo ac Consultissimo Viro

DN. JOANNE MARTINO

Brandes / J.U.D. & Professore publico,

Domino ac Fautore suo observando

Pro summis in utroque lute Privilegiis, Honoribus ac Insignibus

Doctoralibus consequendis

PUBLICAE CENSURAE SUBMITTIT

LUDOLPHUS *Levers* / Hildesienfis,

In Auditorio Jctorum

Addiem 27. Febr. Horis ante & pomeridianis.



RINTHELII AD VISURGIM,

Imprimebat PETRVS LVCIVS, Academiae Typographus,

ANNO MDCCXXII.

*Monsieur Brandes.*

ad Jct. 8. 1360

219

5

1651, 7.

125

VIRIS

*Magnificis, Nobilib. Consultissimis, Amplissimis  
Experientiss. nec non Spectatissimis ac Prudentissimis*

DN. CONSULIBUS, SENATORIBUS ET OCTODECIM VIRIS  
Universis ac singulis

Inclutæ Reipubl. Veteris Hildesie  
Patribus Patriæ laudatissimis,

*Dominis Patronis, Favoribus, Amicis ac Collegis suis  
etatem honorandis observandis:*

UT ET

*Prestantissimo Viro*

DN. BALTHASARO Evers/  
Collegij Senatorij decemviralis Seniori ac Civi  
apud Hildesieneses primario,

Fratri suo germano unico dilectissimo,

*Hancce Conclusionum Juridicarum Inauguralium, à se  
in Illustri hac Rinthelensium Academia  
conscriptarum, Decuriam.*

*Cum pio voto omnigenæ felicitatis & prosperi  
novi incuntis anni regiminisq; augurio*

L. M. Q. D. D. D.

Ludolphus Evers/  
Author & Respond.



## Anteloquium.

**A**ugusta Jurisprudencia, illa di-  
vinarum ac humanarum rerum noti-  
tia, justī atque injusti scientia §. 2. In-  
stitut. de Just. & Jur. l. 10. §. 2. ff. eod.  
junct. l. 2. in fin. ff. de l. cum non con-  
sistat in theoreticis umbratilibusque dissertationibus, sed  
usu & exercitatione practicā comparetur, Thom. Lindem.  
histor. de orig. jur. th. 180. ac non fandi sed judicandi  
adeoque faciendi & practica ars sit, d. loc. th. 207. ideò  
non cognitionis nudæ, sed quemadmodum Aristotel. I. E-  
thicos. de totâ Philosophiâ practicâ scribit, Jus nostrum  
actionis & usus causa addiscendum, ut aliquando ex um-  
bra scholarum in lucem fori & judiciorum id proferamus,  
Rittershus. ad Institut. circ. proëm. & ad §. ult. Inst. de  
statild. junct. Comm. ad Novell. c. 7. proëm. n. 4. Lon-  
gè utiliore ergò laborem impendere semper mihi visū, qui  
in mores seculi hodierni intenti, operam suam mancipant  
materiis, augusta judicum subsellia cottidiè personantibus,

A 2

monen-

monentibus Jctis Papiniano in l. 44. ff. de usuc. ac Paulo in l. 25. pr. ff. de liber. leg. l. fin. in pr. C. de bon. quæ liber. quam illi, qui in antiquati juris intellectibus variis eruendis, Legis Caninia, Voconia originibus, stipulationum actionumque formulis, Emancipationum, Manumissionum retibus, similibusque infrugiferis tricis titivillitioque ferè dignis investigandis, operosè ac prodigosè industrij sunt.

Tales enim quæstiones, juxta Aristonis Chij effatum, similes araneorum telis, plurimum quidem artificij, sed minimum utilitatis habent, quasque inde nec scire compendium nec ignorare detrimentum est vllum, Anthon. Hering/ de fidejuss. cap. 10. num. mihi 103. Hæcce igitur hoc loco, quo non tam ex arbitrio meo, quam potius Jussu & autoritate illorum, quibus impræsentiarum obsecundare fas ac par est, in publicum denuò prodeò, mecum animo volutanti, materia, quæ de Rescriptis seu Inducijs Moratorijs debitoribus concedendis, agit, satis accommodata ac digna visa fuit, in qua enodanda operam collocarem. Et si enim materia hæc nullo titulo ac rubrica peculiari, in libris juris decorata, sed sedes ejusdem paucissimis legibus circumscripta inveniatur, nimirum l. quoties 2. & l. universa 4. (qui textus principalis & cardinalis perhibetur) C. de prec. Imp. offer. l. fin. C. qui bonis cedi poss. quibus ex Jure Pontificio additur text. in c. rescri-

## Anteloquium.

rescripta 15. caus. 25. qu. 2. ac tandem ex Recept. Imp.  
Noviss. R. U. zu Augspurg. de Anno 1548. tit. von  
verdorb. Kauffl. §. fin. ibi. Und nach dem sie zu Zei-  
ten bey den Römischen Käysern / etc. Est tamen talis,  
qua ex medio utriusque tam publici quam privati juris  
fonte deprompta, juxta D. V. Wilhelm. Anthonij de Freun-  
deberg / in tract. absolutiss. de Rescr. morat. in pro-  
ëm. num. mihi 12. ejusmodi campum spaciosum prebet,  
in quo bos herbam, ciconia lacertam, canis leporem possit  
querere, & quesitum invenire, ut ex Seneca pulchrè ex-  
orditur Georg. Mund. à Rodach / comment. de diffa-  
mat. Crusius de indic. delict. part. c. 87. Sed & ob tempo-  
rum nostrorum iniuriam ac hominum perfidiam in usum  
versatur frequentissimo, Nicola. Schaffshausen / Do-  
ctor meus in anteloq. disp. de morat. præter. Aded  
ut non tantum in Imperio Romano, Galliâ, Italia, His-  
pania, sed & apud Turcas has inducias receptas, vel  
inde non improbabiler concludat præfatus Anthon. d.  
lib. proëm. num. 23. quod Turca præter leges naturæ,  
Romano etiam Jure & Codice Justiniano, in vernacu-  
lam suam verso, ac prædictas inducias, ut modo monstra-  
tum est, continente, utantur, ceu autore Iohan. Leun-  
clatio asserunt, Treatler. vol. 1. disp. 1. thes. 5. lit. a. Theo-  
dor. Keimling / de R. S. & E. lib. 2. cl. 2. cap. 5. num. 53.  
Cyriac. Herdesian. in cynos. jur. canon. pag. mihi 42.

A 3

cumque

cumque multo ab hinc tempore, truxilla Bellona, cunctos Germaniæ angulos pererraverit, ac in bona, fortunas, fiscum & araria non privatorum, sed Rerum publ. ac Magnatum, qui antehac (ræsi videbantur regales, crudeliter sevierit, imposterum cumulatim huiusmodi inducias temporis que laxamenta arreptum iri, haud vanè auguratur ac veretur Anthon. concl. 9. tit. 5. num. 6. & 7. eoque inclinare videtur ipsum Instrumentum pacis Osna-brugo: Monaster. art. 8. §. de indagand. rat. & ad eund. §. D. V. Wilhelm Bidebach / Consil. Cesar. aulic. in Consil. German. solivago in pr. & num. 4. ibi. dergleichen bevorstehende dispositio. Proinde relictis verborum longioribus ambagibus, cum dudum opus vastiss. memoratus Anthon. de Rescr. Morat. in lucem ediderit, quod ipse autor Pandectas, imò Tractatus tractatum juris moratorij inscripsit in rubric. & proëm. lit. R. nos instituti memores, totam disquisitionem, Vni saltem Decuriæ conclusionum, earumque enodationum includemus, Sit ergo bono cum DEO

### Conclusio Prima.

Rescripta  
morator.  
nullam fa-  
pient ini-  
quitatem.

Rescripta Moratoria citra iniquitatem  
ac summum creditorum præjudicium, ex justâ  
acur-



acurgentissimâ causa, personis certis, tempore legibus determinato, à supremâ potestate, concedi possunt.

Διάλυσις.



Ntequam ad ipsa Moratoriorum penetralia descendamus, hanc Conclusionem generalem præmunitionis loco, discursus totius q. πρόδρομον præmittere placuit. Ut enim nullum tam plenum beneficium est, quod vellicare malignitas non auit, juxta Senecam 2. de benefic. c. 28. Ita & hoc à Divis Impp. inventum saluberrimum Moratorium beneficium, non creditores solum rigorosi, Theonino dente arrodunt, sed & Jcti haud infimi subsellij, perperam ac malè de eodem sentiunt, dum *ius & præsidium iniquum* illud appellant, inter quos Domin. Cardin. Tuschus *præct. concl. tom. 5. lit. L. concl. 270. num. 2. & lit. M. concl. 383. num. 1. Natta cons. 591. n. 9. & seqq. Andr. Knichen de Sax. non provoc. jur. verb. Ducum, c. 5. n. 463* Sichard. *ad l. cum te Sponse 9. n. 3. C. de donat. ante nupt. ad de autor. German. βαταρχομομαχ. G. Kollenh. pag. 2. cap. 14.* Sed salva res est. Quis enim adeo ferreus, qui non erga homines, fatali ac inopinâ calamitate, absque suâ culpâ, puta bello, rapinâ, incendio, furto, naufragio, vel alio quodam adversante casu fortuito (qui numeri ferè sunt infiniti, *l. fin. C. de temp. appell. l. fin. C. de præscr.*) obrutos commiserationis affectu ducatur? quis eos statim impetuosius morosis ac molestis creditoribus cumque sacco paratis, ceu loquitur Paulus *in l. 105. ff. de solut. exenterand. ac exeruciandos tradat?* Sacratissimi Impp. prudenter huic malo obviam euntes, contra hæc exactiones acerbis & præproperas, Beneficiū Induciarum Quinquen-



quennialium, saluberrimè introduxerunt, *d. l. fin. C. qui bon. ceder poss. l. 4. C. de precib. imp. offer.* repetitum postea novissimè ab Imperat. & Universis Imp. statibus, *in ordin. polit. de Annis 1548. & 1577. sub tit. Bon verdorb. Rauffl. ibi.* ohne das sinnen / &c. quod certè consonat ipsi æquitati, quæ vult afflicto ulteriorem calamitatem & afflictionem non addendam esse, *Syra. 4. vers. 3. c. percussio 7. qui l. divus 14. ff. de offic. presid. Pruckm. conf. 2. n. 186. vol. 2. Tusch. concl. pract. tom. 1. lit. a. concl. 240.* Tantò minus cum hæc Moratoria, non auferant creditoribus planè jus suum, sed tantum ad exiguum temporis spatium suspendant & debiti solutionem remorentur, *l. quoties 2. C. de precib. imp. offer.* Mora hic est, sed temporis modici, in quâ non vertitur magnum præjudicium, *l. si debitori 21. ff. de judic. l. si in lege 24. §. 4. vers. quod si paucis ff. locati,* neque jus creditoris funditus tollitur & absorbetur, sed tantum ad certum tempus differtur, *Brun. tr. de cess. bon. pr. 22. num. 2.* Modicum autem non curat prætor, *l. scio 3. ff. de restit. in integr.* cum modicum & nullum seu parum & nihil æquiparentur, *c. licet causam 8. Extr. de probat.* Accedit, quod inducijs hæc tam debitoribus calamitosis, quàm ipsismet creditoribus prospectum sit, juxta rationem infra *concl. 5. lit. B. in fin.* allegatam: *Wehner. observ. pract. verbo Anstandbrieff / Anthon. d. tract. concl. 6. tit. 5. n. 29.* qui tandem *num. 49.* addit, Inducias hæc fundatas ac permissas, non tantum de Jure civili & in foro fori, verum etiam in S. S. Scripturæ Codice & sic in foro poli ac conscientia, cum LL. & constitutiones civiles seu politicae DEO non displiceant, sed obligent in conscientia, *Roman. 13. Meisner. lib. 4. de LL. polit. sect. 1. quest. 11 p. ag. 310. Dn. D. Johan: Gerhardt decad. 5. quest. polit. 8.*

Con-

## Conclusio II.

Moratorium<sup>(α)</sup> rescriptum<sup>(β)</sup> definimus<sup>(γ)</sup> Definitio  
 vel potius describimus, <sup>(δ)</sup> quod sit benigna<sup>(ε)</sup> seu De-  
 Principis<sup>(ζ)</sup> vel ipsorum creditorum<sup>(η)</sup> conces- scriptio.  
 sio, quo debitori fortunæ asperitate<sup>(θ)</sup> ad ino-  
 piam<sup>(ι)</sup> redactō, dilatio modici<sup>(κ)</sup> legalis tem-  
 poris indulgetur, ut interea à multijugis credi-  
 torum impetitionibus liberatus, bona sua coau-  
 gmentare<sup>(λ)</sup> possit ac tandem dilatione lapsā,  
 creditores suum nanciscantur.<sup>(μ)</sup>

Διάλυσις.

[α] Cum nemo res probè intelligat, secundum Matth. Ste-  
 phan. *lib. 1. de jurisd. cap. 1. num. 8* nisi verba prius cogno-  
 verit, & verborum neglectus pariat rerum incertitudinem,  
 ideò rationem denominationis hanc damus, quod rescripta  
 ejusmodi exactorem & petitionem creditoris morentur, id  
 est, retardent, impediunt, differant ac ad finem usque inducia-  
 rum suspendant, Besold. *thes. praët. tit. C. Manz. in patrocini-  
 derad. 4. quest. 9. num. 7.* Usurpatur & simpliciter in singulari  
 Moratorium neutrum, quo Cæsar & Camera ejus ut plurimū  
 utuntur. si hodiè privilegium alicui personæ separatim conce-  
 datur. Συώνυμα varia recensentur apud Justum Meierum  
*in Colleg. Argentorat. repetita ab Anthon. tit. 3. concl. 4. d. l. Potif-  
 B sima*

simā apud Practicos sunt: *Littera Induciales, Dilatoria, Moratoria, Littera securitatis, Gratia*, Gallis, *Lettre de respits*, q. dicerent litera respirationis, vernaculā nostrā *Anstand/Anstandsbriefft* *Quinquenell* / non *Quinquer* / vel *Quinfernell* / prout legitur apud Georg. Nollenhag. autorem facetum in *Баргъ хътовъ ма- хъ* sua.

(β) Rescriptum dicitur, quo Princeps libello supplici a-  
ditus, supplicanti vel à magistratu aut iudicibus, vel à privatis  
consultus, respondet; neque enim rescribitur, nisi quid scri-  
ptum sit ad principem, cui quod nomen indicat, rescribatur:  
nec aliter rescribi solet quam sit petitum, *l. i. C. de prec. imp. offer.*  
*Wesemb: in parat. ad d. tit. n. 2.* atq; inde fit, ut in dubio non pro-  
prio motu, sed ad instantiam & preces partis rescriptum præ-  
sumatur indultum, *arg. l. 15. C. de transact. Reinling de R. S. &*  
*Eccl. lib. 2. cl. 2. c. 8. n. 13.*

(γ) Æquè difficile est rem aliquam in jure nostro exa-  
ctè definire, quam regulam ex legibus constituere, quæ nulla  
sui parte possit infirmari. Errant proinde, qui omnes juris de-  
finitiones perfectas esse contendunt, quum vix ulla ob vera-  
rum differentiarum paucitatem, variasque negotiorum cir-  
cumstantias perfecta possit videri, Philip. Matthæi *ad l. 202.*  
*de Reg. jur. n. 4.*

(δ) Non solum apud Jctos, sed etiam apud Philoso-  
phos definitiones essentielles rariores sunt. Quamvis enim  
certas formas rebus dederit natura, quibus eas abs se invicem  
discerneret, mens hominum tamen peccati vitio corrupta,  
non ita accuratè illas potest perspicere, & omnium definitio-  
nem ex genere & differentiâ specificâ extruere. Hinc fit, ut  
accidentibus sæpè numero pro formâ utamur, quæ statim at-  
que alteri quoque speciei communis est, vera & adæquata in  
eâ specie esse desinit, *Arist. 6. Topic.* Nobis hic sufficiat Rescri-  
pta

pta moratoria ejusmodi verbis describere, quæ illorum naturam quadantenus exprimant, quia ut dici solet, Legistæ non dialectitant sed ponderant rerum momenta, Cagnol. *ad l. 1. §. 1. n. 19. ff. si quis ius dicent. non obtemp.*

(e) Impertiuntur enim ex merâ gratiâ, extraordinariè singularis beneficii loco, cum adversus communes pactorum transactionum ac conventionum regulas ac spontanea liberissima placita, ut plurimum invitis creditoribus obtrudantur.

(f) Vulgatum est, quod Vox Principis in LL. nostris & Jure Feudali propriè & κατ' ἐξοχὴν solum Imperatorem designet. *l. 31. ff. de leg. l. 1. ff. de constit. princ. Martin. Mager de Advoc. arm. c. 3. n. 35. Reinsing. d. l. cl. 4. c. 8. n. 1. 2.* In materiâ tamen præsentî, hanc vocem generalius intellectam volumus, ut non tantum Imperatori, sed etiam Principibus inferioribus reliquisque Imperii statibus competat.

(g) De quorum inducijs vide sis *concl. 5.*

(h) Incendio, bello, guerrâ, rapinâ, furto, naufragio & similibus casibus inevitabilibus ad incitas redacti, non autem Fallitis, decoctoribus, prodigis, bancaruptoribus, qui dolosè, luxuriosè ac prodigaliter vivendo, commessando, pergracando, bonatam suam quàm creditorum abliguriverunt, sibi que, suâ culpâ damnum accersiverunt, hoc beneficium conceditur, cum dolosus ipso jure perdat sua privilegia, à jure ac ll. sibi indulta, *l. 2. ibi: deceptis ff. ad Scm. Velleian. neque damnum sentire videatur, qui illud suâ culpâ sentit, l. 203 de R. I.*

(i) Debitor enim dives agris, dives positus in fœnore nummis, etiamsi creditor ipsius esset locupletissimus & pecuniam modio metiri sciret, moratorium R. non obtinet, standum est enim regulariter pactis conventis.

(k) Supportabilis, temperati ac legalis, ac tempus istud expedit in rescripto specificè poni, neglectum aut indefinite

positum quod rarò accidit, ad jure determinatos terminos æquabilemque moram reducat. In dubio ergò de Quinquennij metâ concessum intelligitur.

(λ) Juxta Poëtam: *Non minor est virtus, quam querere, parva tueri.* Atque sic R. Morat. sunt quodammodo vehiculum ad frugem meliorem, seu potius emplastrum æris alieni.

(μ) Planè ergò Induciæ non liberant debitorem à debiti satisfactione, ne infortunium ipsius debitoris, creditori detrimentum afferat, *arg. l. si bonis 10. ibi: neque inopia patris. C. de jure delib.*

### Conclusio III.

*Moratorie dilationes, ex personâ concedentis communiter juxta Pragmaticos (α) dividuntur, quod vel à potestate summâ, (β) vel à creditoribus (γ) debitoribus impertiri soleant. (δ)*

Divisio  
moratoria  
rum dilata-  
tionum.

Διάλυσις;

(α) Paul. Matth. Wehner *in observ. pract. d. l. in medio vers. tamenejusm.* Anthon. *d. tr. tit. 6. concl. 11. n. 6. & concl. 14. n. 16. & alij ibid. alleg.* Disertis enim verbis, cum parcè ac jejunè II. de inducijs loquantur ac disponant, supra *anteloq. in fin.* nulla in jure expressa mentio hujus divisionis extat.

(β) Principe Romano & alijs *concl. seq. 4. per tot.* vigore nimirum reservatorum, regalium majorum, jure superioritatis, ex merâ gratiâ ac privilegio singulari.

(γ) Citra omnem superioritatem, cum indignum sit aliquem privatum jura regia, pretio nummario non aestimanda, Frid. Pruckman, *cons. 20 in resol. qu. 4. n. 93. vol. 1. habere & conferre, c. 1. de Feud. March. Cluten. Syllog. rer. quotid. concl.*

concl. 26. sed ex indulgentiâ, ratione interesse proprii, de quibus infra in specie pluribus, *concl. 5. peculiari.*

(d) Haud incommodè partitioni traditæ annecti potest, quod Moratoria Rescripta, utpote certis temporum limitibus inclusâ ac determinata, vel Quinquennalia, Quadrien. Trienn. Bienn. vel Annalia sint, quamvis annalia, non ita frequenter ceu Quinq. utpote ampliora, uberiora, plausibilia, propter arctiorem metam à creditoribus arripiantur.

### Conclusio IV.

Etenim Ius (α) seu Potestas inducias moratorias concedendi, non unicuique indifferenter competit, sed primariò, independenter ac ordinariè ejus causa efficiens est Imperator, (β) Rex Romanorum, (γ) Reges absoluti (δ) exteri, Serenissimi Vicarij (ε) Imperij Rom. Palatinus & Saxo tempore Interregni, Electores, (ζ) Principes (η) & Status Roman. Imperij.

Personæ  
inducias  
conceden-  
tes.

Διάλυσις.

(α) Quicumque enim fundat jus suum in concessione alterius, ante omnia probare debet, concedenti ejusmodi jus competere, ni causâ cadere velit, *l. quod si 10. ff. de hered. vel act. vend. Georg & verhard. conf. 83. n. 30. v. 2.*

(β) Est enim hoc Privilegium seu Indultum de Regalibus non minoribus sed majoribus Imperatoris, ceu colligi potest.

B. 3.

test.

test ex d. l. 2. ibi: rescripto nostro C. de prec. Imp. offer. d. l. fin. ibi: cum  
 solito more à nostra maiestate petitur. C. qui bon. ced. poss. Wehner. in  
 obs. pract. all. l. Besold. de regal. c. 2. th. 7. Caspar. Manzius in pa-  
 trocin. dec. 4. qu. 9. n. 20. Anthonij d. tr. tit. 6. concl. II. n. 5. Proprie n.  
 privilegia ac rescripta solus Princeps superior concedit, sicut &  
 nemo gratiam, quæ & ipsa privilegium est, Peregr. de jur. fisc. lib.  
 1. tit. 3. n. 15. Ex Imperatore enim tanquam ex inexhausto ocea-  
 no & fonte irriguo ac reciproco omnes potestates, dignitates,  
 Jurisdictiones, Privilegia sic profluunt ac dimanant, juxtaq;  
 ad eundem refluunt, Reinling de R. S. & E. lib. 1. cl. 5. c. 2. n. 4. Ut eo-  
 rum promus condus verè dici possit, sicut & ab ipso proprie  
 exercentur Jura Regalia, Anthon. d. l. n. 10. Tantæque est sub-  
 limitatis, ut in hoc mundo sit veluti DEUS Corporalis & super  
 omnes emineat, tanquã stella matutina in medio nebulae me-  
 ridionalis Bart. ad l. pen. C. de bon. qua lib. Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 4.  
 n. 6. Vultejus lib. 1. Feud. c. 5. n. 7. Conrad von Einsiedel / de Re-  
 gal. c. 2. num. 190. Dn. Conrad. Carpzov. Doctor meus disp. In-  
 aug. de Regal. th. 16. & 26. Georg. Christoph. Walther. tract. e-  
 legant. de statu lur. ac Privileg. Dd. omniũ Facult. cap. 5. §. 1. pag. mihi  
 42. Dn. Caspar. Kloß / latissimè cap. 4. num. 3. & seqq. per totum.  
 Sed quo tendimus? cur non primas Papæ Romano circa ma-  
 jestatum & dignitatum jura tribuimus? Est enim juxta adula-  
 tores, gnathones, parasitas, Canonistas, Princeps principum,  
 Dominus Dominantium ac DEUS in terris, Bald. cons. 388. nec  
 DEUS nec homo, sed medium inter utrumque, Michael Vul-  
 cur. de regim. mund. fol. 273. In Papâ sunt omnes dignitates, i-  
 deo est Imperator, Rex, Dux, Marchio, Bald. cons. 328. Imò Hæ-  
 reticus est qui dicit contrarium, Rolan. à Valle cons. 88. num. 7.  
 Consulantur de horrendis hisce mendaciorum plaustris ac de-  
 testabili fingendi audaciâ ac insanâ Canonistarum mentis libi-  
 dine, Johan. Wolfius / Cæus & Polyhistor. variar. ac reconditar.  
 lection.



*lection. tom. 2. mihi pag. 460. & mult. seqq. ut & autor novissimus Laurent. Banci in diascepsi de tyrannide Papa, cap. mihi 11, & 12. per totum. Convenienter sanè Johan. Faber superioris seculi Ictus in proe. Instit. Papa in verbis se dicit servum servorum, de facto tamen se adorari permittit, adde Jason. in l. rescripta 7. C. de precib. Imper. offer. Nullo ergò jure ac titulo alio, nisi dolo, vi & viribus, in Majestatum jura, Vultur Romanus involavit, Hortleder von Brsach des T. R. lib. 1. c. 47. pag. 513. Conrad. & Benedict. Carpzovij Icti Germania splendidiss. praeceptor. observ. disp. Inaugural. de Regalib. V Vitteberge habita, thes. 109.*

(γ) Probatur utroque Recess. Imper. de anno 1548. & 1577. sub tit. von verdorb. Rauffl. in init. & med.

(δ) Horum post S. C. Majest. hodiè summa in orbe dignitas, ac parùm abest, cùm neminem nisi DEUM & ensẽ superiorem recognoscant, quin omnia, quæ ad facultatem ac potestatem Imperatoris pertinent, ad Reges quoque extendantur, Lancellot. in templ. omn. jud. de reg. pot. §. 3. de magn. reg. num. 1. Caspar. Kloet de contribut. cap. 4. num. mihi. 69.

(ε) Horum enim potestas eadem ferè est, quæ Imperatoris, cujus vices gerunt extra casus exceptos & expressè reservados, puta Collationem ac investituram feudorum Regalium, vulgò *der Fahnentehen* aurea B. tit. 5. & per ea quæ tradit Bened. Carpzov. *comm. in l. Regi. cap. 11. sect. 15, num. 1. 2. 26. edit. noviss.* Gail. *de pign. observ. 14. num. 2.* *Kremberg Doctor meus de necess. defens. qu. 7. num. 5.* Exceptio ergo firmat regulam in casibus nõ exceptis, hancq; sententiam tutati sunt Buxtorff. & Rumelin. *tr. ad Aur. Bull. cap. 5. ut & Wilhelm. Anthon. tit. 6. concl. 13. num. 3.* Ubi præjudicium & decisionem in terminis terminantibus adducit.

(ζ) Regibus enim comparantur Electores, Moller. *Seestr. lib. 1. cap. 4. num. 1.* Warem. ab Ehrenbergi *de fæder. lib. 1. cap.*

cap. 11. num. 147. Die Churfürsten/ait B. Lutherus noster, in den Tischreden c. 38. schreiben Königen Ewer Liebde vnd nicht Ewer Gnaden / denn sie sind Königen gleich geachtet / Imò non solum Electorum, sed & aliorum Imperij principum stylus est, ut in literis ad Reges externos, non Majestatis sed Regiæ dignitatis exprimant titulum, Limm. ad Lib. 3. c. 2. num. 3. 1. Pub. Carolus IV. in A. B. eos Palmites Imperiales, Columnas Imp. Candelabra ac membra sua appellat.

(n) Postquam enim Principes ac Status in territorijs suis jura imperialia exercere cœperunt, exinde hoc jus superioritatis ac eminentiam, quæ in concedendis moratorijs vertitur in territorijs suis sibi vendicant Anthon. d. tract. concl. 12. Stephan. de jurisd. lib. 2. pag. 1. c. 7. n. 389. Kein. ing. d. tr. lib. 1. c. 5. c. 6. n. 31. Nō tamen hæc quæ de Principibus ac Statibus modo dicta, ad Mediatos Principes ac Comites extendenda sunt. Hi enim pro subditis meris ac Landsassen reputantur.

### Conclusio V.

*His subjungimus creditores: (α) Illos (β) enim, vel majorem (γ) eorum partem, etiam invitis (δ) ac reluctantibus concreditoribus, debitoribus dilationes seu inducias concedere posse manifestum est.*

X  
Credito-  
res indu-  
cias con-  
cedentes.

Διάλυσις.

(α) Superius enim potissimum egimus, de illis Rescr. quæ ex privilegio, gratia, vigore regalium largiri solent, conclus. 4.

(β) Remotâ omni superioritate, ratione interesse proprii

prij emergentis ; si enim Creditores plures portionem debiti possunt remittere in præjudicium minoris partis creditorum, ut possunt, *per. iuris gent. 7. §. hodie cum seqq. 19. ff. de pact.* multò magis sanè dilationem solutionis dare possunt, cum ei cui magis licet, etiam minus liceat, *l. fin. C. qui bon. ced. poss.* maximè cum non solum debitorum, sed & creditorum gratià concedantur induciæ, *Strach. de decoct. pag. 6. num. 20.* ut scilicet debitores ad frugem redeant, res suas locupletent, eoque melius postmodum solvere, & creditoribus exactius satisfacere possint, *Wehner. observ. pr. d. l.*

(γ) Textus apertus *in l. fin. C. qui bon. ced. poss. in med. ibiq.* *Dd.* & quidem ita, ut minor pars de jure cogatur majori consentire, *d. l. fin. Menoch. de A. l. 2. cas. 203. num. 11.* ita ut si recuset, Princeps Magistratus judexvè competens autoritatem & decretū interponere debet, ad eliciendum reliquorū credit. consensum. Nec obstat, quod alias pro regulā supponitur, ut quod omnes tangit ab omnibus debeat approbari, *c. quod omnes 29. de R. l. in 6. l. f. C. de auct. prest.* Et in his quæ sunt communia plurium, ut singulorum, non sufficiat majoris partis, sed omnium suffragium & calculum adhibere, *l. per fundum ff. de serv. rust. præd. l. fin. ff. comm. præd.* tamen humanitatis ratione in proposito receptum est, ut stetur majori parti creditorum adversus reliquos, ne ad flebilem ac miserabilem bonorum cessionem debitores urgeantur, *Manz. in patroc. qu. 10. decad. 4. n. 7.* cum & aliàs non infrequens sit in jure, ut major pars concludat, & plurium sententia prævaleat, *l. cum quidam 30. §. quod 3. ff. de acquir. hered.* quæ sententia aliàs quoque in consultationibus publicis opinionumque conflictibus, quo res faciliùs ad causæ definitionem perducì possint, obtinet. Vota enim majora seu numero plura, maturiora ac rectiora censentur, ac ubi major numerus, ibi & Zelus

C                      dexte-

dexterior, secundum Pontificem praesumitur, *inc. Ecclesia vestra Extr. de Elect. & elect. potest.* Caspar Kloet *de Contribut. cap. 16. num. 14. 59. & seqq.*

(d) Valde absurdum ac inconueniens futurum esset, si in eiusmodi congressibus moratorijs, una & altera faba nigra, totum actum denigret, & retractari faciat, hoc est, si dissensus minoris partis creditorum, consensui majoris partis praeponderaret vel praeponendus esset. Convenientius utique est, ut pactum majoris ac potioris partis, minori praesudicet, quam e converso, ne minor pars commodum majoris partis impediatur vel remoretur Dn. Cancellar. Caspar Kloet *cap. 6. num. 70. de Contribut.*

### Conclusio VI.

Quibus  
personis  
possint in-  
dulgeri.

Reliquum est, ut dispiciamus, quibus haec inducia impertiendae veniant, & asserimus, non tantum homines privatos (a) Mercatores (b) cum primis, sed etiam Civitates (c) integras, Universitates, Collegia, Ecclesias, Caenobia, Familias (d) praecipuas, Tribus, Pagos (e) easdem impetrare & exorare posse, exclusis tamen Decodtoribus (f) & debitum inficiantibus. (g)

Διάλυσις.

[a] Exempla passim obvia sunt. Schneidevv. *ad Inst. & ex eo VVehner. in pract. obs. loc. supra all.* meminit cujusdam Rauscheri Consulis Lipsiensis, add. *Willh. Anth. tit. 6. concl. 13. num. 16.*

Holcc

(β) Hocce enim negotiatores obaratos quidam Dd. ad hoc beneficium exorandum solum admittunt, reliquis privatis infelicibus debitoribus planè semotis, moti Rubric. & nigro æquipollente in X. A. de annis 1548. & 77. quod illæ solum nominatim mentionem faciant *der verdorb Kauffl.* prout etiam Nicol. Everhard. *junior vol. 1. conf. 7. num. 38.* quondam consulendo respondit. Nos reponimus illis LL: Codicis in sede ordinaria de Inducijs generaliter ac indefinitè loquentes, & sic quoque indistinctè intelligendas. Urgemus præterea quod allegatis novissimis Imperij constitutionibus expressè & nominatim non abrogatū sit, cur ergò stare prohibeatur? *l. sancimus 27. C. de testam. Wilhelm. Anthon. tit. 7. concl. 20. num. 23. & seqq.* ubi rationib. plur. stabilitur opinio nostra.

(γ) Generalis enim dispositio, nō personas tantum singulares, sed corpora quoq; ac Universitates complectitur, *l. si quis id 7. §. fin. & l. si famul. §. 9. ff. de jurisd. omn. iud.* Jura etiam generaliter non in singulas personas constituuntur, *l. jura 8. ff. de ll.* Et ut alia à Dd. relata præjudicia subdiceā, quis rerum patriarū adeo hospes, ut de Goslariensiū moratorio Anno 1624. ad octennium primitus ipsis & postea ad duos annos prorogato non inaudierit? Fama viri imper has Saxonix oras percrebuit, & præterquam quod dudum in manibus omnium fuerint, extant adhuc bina illa diplomata recusa apud Wilhelm. Anthonij ad calcem sæpè memorati operis.

(δ) Si enim singulari privatae personæ ob notabile damnum conceduntur, multò magis æquum erit, ut eandem ob causam egregiæ & famigeratæ nominis familiæ ab hisce diplomatibus obtinendis, non arceantur, publicè enim interest, ut familiarum dignitates conserventur ac propagentur, *l. 1. §. sed & si ff. de ventr. insp. cum divitiæ sint humidum quoddam radicale atque familiæ absq; bonis sordescant.*

Exemplum recens suppeditat idem Anthon. in familiâ Nobili-  
um Bremenſ. N. N. qui biennem dilationem Anno 1631.  
obtinuerunt.

(e) Petr. Rebuff. *tract. de lit. dilat. num. 13.* testatur se vi-  
diſſe à rusticis pagi alicujus ab hostibus destructi hæcce literas  
impetrari. Et quid aliud est, aut quorſum referemus, niſi ad  
hæcce dilationes, quando vidimus ac inaudivimus Principes  
vicinos sæpè huic vel illi pago imò Præfecturæ, ceſſationem ab  
indictionibus & tributis publicis clementer indulſiſſe, ubi con-  
ſtitit exercitus ibidem in proximis hæcce turbis ac revolutioni-  
bus bellicis ſubſtitiffè & ſubditos notabili damno affeciſſe.

(C) Alias Falliti, Bancæruptores, Magazenerij, Prodigij,  
quorum largitio fundum non habet. Hoſce ſtelliones enim,  
cum ſuapte culpâ ſibi calamitatem accerſiverunt, ac in ll. pu-  
blicas deliquerint, non favore, gratiâ ac privilegio ſed potius  
pœnâ dignos exiſtimamus, *qua tit. 23. Ordinat. polit. de anno*  
*1548. & 1573. S. S. So ſehen / ordnen vnd wollen wir / reperitur.*  
Ac extat præterea decretum civitatum Hanſeaticarum Lube-  
cæ anno 1620. ad refrænandam audaciam horum Impoſto-  
rum promulgatum, cujus tenorem pl. refert Anthon. *concl. 23.*  
*tit. 7.* Sed bona lex, bona intentio, utinam Executio bona!  
Videmus ſanè Bancæruptores tales interdū in magnis vicinis  
Emporijs Hamburgi ac alibi bonis foro ac ſolo cedere, aſt  
ſtatim in viciniâ, contra Hanſeaticum iſtud decretum, tole-  
rari, recipi, protegi, tranſactiones, defraudationes potiùs,  
longè ultra dimidium, cum creditoribus ſuis de novo erigere,  
imo eos ipſos aut poſteros ad honeſta officia, quaſi re benè ge-  
ſtâ, evehi. Exempla ſunt in propatulo: O tempora! ô mores!

(n) Si fraudulenter ac doſoſè id inficiati ſunt,  
ſecus ſi animo titubante incertâque mente oblivionem alle-  
gârint, hoc n. caſu, dubitans habetur pro ignorante, Bartol. *ad*  
*l. 1. ff. de*

*l. 1. ff. de LL.* Leges enim nostræ mendacia severè prohibent ac odio singulari mendaces prosequuntur, ita ut qui semel pejeravit ac mentitus est, ei credi postea non conveniat, Hering. *de fidejuss. cap. 27. num. 212. & 213.*

## Conclusio VII.

*Forma ac modus Induciarum Impetrandarum* consistit in requisitis ac conditionibus fere sequentibus. 1. Debitor in libello supplici, Principi pro induciis porrecto & qualitatem (a) debiti & sui ipsius (b) ac quamam occasione ad inopiam redactus solvendo esse desierit, fideliter (c) describat. 2. Idq̄ probet Documento Magistratus (d) sui, sub quo Larem & domicilium habet. 3. Caveat idoneè fidejussoribus (e) de solvendo post elapsam quinquennij dilationem. 4. Illæq̄ non nisi semel (f) concedantur, nec 5. ultra legale tempus (g) Quinquennij (h) durent.

Διάλυσις.

(a) Non in genere sub involucro ac nube verborum preces porrigenda, alias perinde esset ac si narratæ non fuissent, Octav. Cacheran. *decis. 1. num. 9.* sed specificè, clarè, evi-

C 3

den-

denter ac punctualiter R. A. noviss. de Anno 1641. §. Fürs  
 ander D. Vidembach in *consil. German.* Idque ideò ut prin-  
 cept cognoscere possit, num debitum sit ejusmodi, quod indu-  
 cias vel non recipiat, vel in quo Principem consentire haud  
 probabile est.

(β) Nimirum probet se adversà fortunā & casu fortui-  
 to, citra dolum & culpam suam, ad extremam redactum ino-  
 piam, R. A. de anno 1548. & 77.

(γ) Aliàs enim præsumeretur in dolo, tacendo verita-  
 tem, vel exprimendo falsam causam, ipsumq; rescriptum sub-  
 dolè emanatum [vulgò *ex practis fiet*] esset ipso jure nullum, ni-  
 hilque operaretur, *clem. 1. de prabend. Gail. lib. 2. Observ. 1. n. 18.*  
 novissimè D. Wilhelm. Vidembach. in *all. conf.*

(δ) Dictis Recess. Imp. quibus fidem faciat largitori se  
 non suā culpā decoxisse sed calamitate & temporum injuriā  
 facultatum jacturam fecisse Wehner. §. *fin. inf. Limnæ. tom. 2.*  
*lib. 4. c. 8. n. 28.* Si tamen hic probandi modus vel planè non vel  
 difficulter haberi potest, juramento debitoris locum dat An-  
 thon. *concl. 29. num. 35.* ad quod etiam Senatus Goslariensis,  
 Anno 1624. se prompto animo obtulit, uti tenor Moratorij o-  
 stendit.

(ε) Ratio, ne debitor bona quæ adhuc salvā reperiun-  
 tur, intermedio tempore prodigaliter consumat vel planè  
 profugus fiat & sic creditores suos fraudet. Hæc cautio debi-  
 tori à Principe non potest remitti Hering *de fidei. cap. 5.*  
*num. 128.* Quod verum est, quando cautio hæc à creditoribus  
 petita est, alioquin valent induciæ à Principe concessæ, *Gail. d.*  
*observ. 46. num. 14.* Solent tamen creditores vocari, antequam  
 debitor ad Moratorium admittatur Wehner. *d. loc. in fin.* Man-  
 zius *in patroc. qu. 9. decad. 4. n. 43.* Quid si propter inopiam nec fi-  
 dejussoribus nec pignoribus cavere potest? Tum ad Jurato-  
 riam



riam cautionem, quam Saxones *einen geschwornen elenden Eyd* vocant, referente Anth. *concl.* 49. Anton. Faber. *in Cod. tit.* 9. *def.* 21. Hunni. *in encyclop. hic, cap. 4. num.* 8. admittendus, maximè, si homo frugi sit, & integræ existimationis.

(Q) Sunt enim naturâ sui irrediviva Moratoria & ordinariè non nisi semel etiam fonticâ causâ existente Anth. *concl.* 49. *n.* 134. impertiuntur, nullus enim esset impetrâdi finis, si quis ita Principis liberalitate abuti vellet. Impp. tamè ex plenitudine potestatis absolutissima ac incircumscripita, accedentibus importunis flagitationibus debitorum eorumq; Advocatorum, Procuratorum ac sollicitatorum, qui plerumq; omnia mala norunt, ut vetus Jctorum diverbium sonat, suggestionibus, ab istâ doctrinâ discedere, praxis hodierna & imprimis Goslariensium aliorumq; exempla commonstrant ac fidem faciunt.

(n) Tempus autem hoc Quinquennij, à die concessionis seu rescripti, quo dilatio impetrata fuit, & non demum à die præsentationis seu insinuationis currere incipit, *Anthon. & Hunnius dd. loc.*

(θ) *Arg. l. fin. C. qui bon. ced. poss. Ordin. polis. anno 1577.* quia ejusmodi concessio sine gravi creditorum præjudicio non fieret, *Wehner. §. est q. ibi d. l. Manz. in patroc. dec. 4. qu. 9. num. 46.* & tempus hoc Quinqu. pro formâ substantiali habendum videtur, ergò præcisè, simpliciter, punctualiter & ad unguem est servandum, *Anthon. concl. 48. num. 46.*

## Conclusio VIII.

*Rescripta porrò Moratoria non in omnibus promiscuè causis neque in quibusvis debitis,* In quibus causis locum non habeant.  
*locum*

locum sortiuntur, sed reperiuntur debita, quæ  
 ceu Privilegiata hujusmodi dilationes Mo-  
 ratorias planè respiciunt, quorum seriem ac Ca-  
 talogum longum texentem, cum primis post a-  
 lios Dd. Præcticos, vide apud Guiliel. Anthon.  
 tit. 7. per tot. Nos excipimus hic tantum De-  
 bita jurata (α) Debita Fiscalia (β) Debita ex de-  
 licto (γ) non ex contractu descendente, Debi-  
 tores rei Judicatæ, (γ) Debita Ecclesiastica (ε)  
 Debita piarum ac favorabilium (ζ) causarum  
 in genere, ac tandem Debita opificum, merce-  
 nariorum ac famulorum. (η)

## Διάλυσις.

(α) Dispositiones, Constitutiones Impp. ac PP. generales  
 nec Principum rescripta vel Privilegia generaliter con-  
 cepta a ceteris juramento vallatos in se non comprehendunt, Dd.  
 in c. constitutus 19. X. de rescript. & c. cum non deceat. 30. de Elect. in  
 6. Juramentum enim habet effectus multiplices, nimirum æ-  
 quiparatur sententiæ rei judicatæ, trahitque secum execu-  
 tionem paratam, tantæque est potentiæ & autoritatis,  
 ut illud etiam herbæ Betonicæ, secundum Medicos, vir-  
 tutes innumeras habenti, assimilare soleant, Dd. Anthon, dict.  
 l. Hunn. in encycl. part. 2. tit. 8. c. 3. n. 2.

(β) Res fiscales enim propriæ privatæque Principis vi-  
 dentur

dentur *l. Prator 2. §. hoc interd. 4. ff. ne quid in loc.* Multisque præ-  
 eminentijs ac privilegijs gaudet, *Peregr. de jur. fisc. lib. 6. §. 7 per*  
*tot.* nec citra rem, quia fiscus est robur ac veluti anima Reip.  
 opus ei opibus est, sine quibus nihil fiet, qua de re concisè ac  
 eleganter suo more, *Justus Lipsius civ. doctrin. lib. 4. c. 9.*

(v) Siquidem tunc non habentes in ære, luere debent  
 in corpore & tales nullâ sunt commiseratione digni, *Menoch.*  
*de A. l. 2. cas. 203. num. 16.* *Brun. de Cess. bon. qu. princ. 26.*

(d) Maximè si lapsis fatalibus appellationis, sententia  
 illa in rem judicatam penitus transierit, ita ut jam præter exe-  
 cutionem nihil sit reliquum. Juris enim indubitati est, quod  
 irritum & inane sit, cum quid contra rem Judicatam suscipi-  
 tur, *l. ult. C. ut lit. pend.* nec enim finita instaurari rerum judicata-  
 rum patitur autoritas.

(e) In præjudicium enim Ecclesiæ, cujus nutritij, *Esaie*  
*49. v. 23.* dicuntur Principes seculares, nihil temere immutare,  
 constituere vel disponere debent, *Menoch. & de A. l. 2. cas. 203.*  
*seqq. Hunn. in encycl.* sed Ecclesiasticarum rerum tractatio & aliena-  
 tio Magistratui politico non nisi cum mysterio permessa est,  
 videatur instar omnium *Guiliel. Redoan. tract. de alien. rer.*  
*Ecclesiast.* Ubi abundè de formâ, modo ac requisitis hujusmo-  
 di Eccl. alienationis reperies.

(z) Sub earundem censum ac classem referimus non so-  
 lum debita minorum, Pupillorum, Viduarum, quæ personæ  
 omnes inter se æquiparantur & pari passu quoad concessa pri-  
 vilegia ambulant, *c. i. de in integr. restit.* Sed etiam debita Ali-  
 mentorum, Studiosorum ac Dotis, hæc enim omnia  
 favorabilium, piarum ac privilegiatarum causarum comple-  
 xu continentur, non retardanda Moratorijs. Sanè ali-  
 mentorum favor omni causæ præponderat, *l. 6. ff. de pignor.* Un-  
 de quoties de alimentis oriuntur lites summarie decidenda

D sunt,

sunt, l. 5. §. 8. ff. de agnosc. & alend. lib. propter ingens periculum quod in mora consistit. Dos quoque in dilationis materia maximè privilegiata est, l. 1. §. 1. C. de rei uxor. act.

(n) Non solum de Jure Divino, Levit. 19. v. 13. & Canonico c. quoniam 12. distinct. 88. Verum etiam de Jure civili positivo, Jure siquidem consentaneum est, ut mercedem adipiscatur is, qui alteri inservivit, Menoch. cons. 228. n. 14. Wehner in obs. pract. §. notand. Anton. Faber in Cod. lib. 1. tit. 9. definit. 20.

## Conclusio IX.

Effectus. *Effectus Induciarum non uniformis sed multiplex ac potissimus hic est. 1. Quod suspendant (a) & impediant Executionem (b) ne debitor durante privilegio M. interpellari ac molestari possit, sed interea respirare ac cogitare de modis solvendi, (c) 2. Effectus moratorij est, quod debitorem à Cessionis bonorum remedio excludant, (d) 3. Ad effectum quoque spectat, quod beneficium Induciarum sit personale ad heredem (e) non transiens.*

Διάλυσις.

(a) Obligatio ergò per hujusmodi concessionem non tollitur, sed potius præsupponitur & confirmatur, imò ne quidem

quidem ipsam suspendi obligationem, sed saltem ejus in exactioe consistentem ἐπέχειαν vim ac effectum dormire & tantisper quasi sub cineribus delitescere dici potest.

(β) Quæ ita suspenditur, ut quam diu durant induciæ, non solum fortis, sed etiam usurarum exactio cesset, elapso tamen definito quinquennio, vel alio tempore usuræ una cum sorte, creditori præstari debent, Anton. Faber, *lib. 1. tit. 9. de finit. 8.* Petr. Heig. *§. si quis debitor. num. 6. Instit. de act.* Hunn. *encycl. cap. 5. num. 3. 4.* Anthon. *tit. 9. concl. 63. num. 36. & seqq.*

(γ) Exigendo vicissim scilicet debita, in quibus alios obstrictos habet, Anth. *concl. 52.* Dissentiunt Brunus, Carocius, quos sequitur Hunn. *encycl. cap. num. 7.*

(δ) Seu, quod post finitum beneficium Quinquennij à creditoribus vel à Principe concessum, debitor ad remedium Cessionis Bonorum admitti non debeat, *l. fin. in pr. C. qui bon. ced. poss.* ubi ponderentur in istâ, *l. dictiones geminatae.* Vel, sive, tanquam voculæ alternativæ & disjunctivæ, si enim contraria sententia admitteretur, creditores duplici incommodo afficerentur, & Creditores qui antea dilationem concesserunt, hac ratione delusi manerent, quod non admittendum.

(ε) Ille igitur post mortem debitoris, durantibus adhuc inducijs à creditoribus conveniri potest, Hering. *de fidejuss. c. 27. pact. 5. n. 77.* Rauchbar/*pact. 2. c. 7. n. f.* Hinc nec induciæ istæ, principali concessæ fidejussoribus regulariter, ordinariè ac ex sui naturâ quicquã profunt, nec obstant, quo minus intra eas fidejussor conveniri possit Coler. *de Process. exec. p. 1. c. 4. num. 19.* Menoch. *A. 1. Q. cas. 203. n. 26.* Ita ut Dd. plerique hanc sententiam communem esse testentur, relati longâ serie ab

Wilhelm Anthon. tit. 9. concl. 66. num. 4. Sunt tamen casus nonnulli quibus dilatio quinquennalis, principali concessâ, prodest quoque fidejussori, quos vide apud Hunn. in encycl. c. 5. num. 10. & Wilh. Anthon. d. concl. 66.

### Conclusio X.

*Contraria.* *Contraria seu Repugnantia Rescriptorum Moratoriorum ex supra deductis per se patent, ut illa repetere ac crambem bis coctam apponere tædiosum sit, ex abundantia tamen addimus, quod elapso spatio temporis sive Quinquennalis, sive brevioris, sive ulterioris definiti, etiam ipsum rescriptum morat. extinctū (a) & evanidum habendum. Potest etiam ad Contraria referri Exceptio Sub- & Obreptionis. (b)*

Διάλυσις.

(a) **P**ER text. in Recess. Imp. de annis 1548. & 1577. sæpè allegat. *ibi nach außgang der selben.* Unde sanè tempore finito inducias hæc finiri, denasce, flaccescere & operari desinere consequens est, quoniam validum ac stringens argumentum est ab extincto subjecto, ad operationes extinctas. & effectus, causâ deficiente perit *l. cancellaverat 2. ff. de his que in test. Dd. l. in ratione 11. ff. ad l. Falcid.* Proinde creditori actiones cū effectu plenissimo, exigendi id quo tam diu sibi carendum & desi-

desiderium ejusdem sufflaminandum fuit, de novo quasi re-  
viviscunt, sicque res ad primogeniam & veterem suam natu-  
ram revertitur, l. si unus 27. §. pactus ne peteret. 2. vers. quod in  
specie ff. de pactis. Schrad. de feud. part. 10. sect. 1. Wilh. Anthon. tit.  
2. concl. 6. & 7. num. 7. de Resir. Morat.

(B) De quibus supra ad verb. fideliter lit. γ. concl. 7. ut &  
Wilhelm. Anthon. cap. 29. n. 12. & cum primis concl. 68 ubi plu-  
ribus persequitur, ac in gratiam creditorum eorumque Ad-  
vocatorum & Procuratorum, varias Exceptiones, Oppositio-  
nes è divite sua penu depromit ac subministrat, quomodo ad-  
versus largitiones moratorias se prævunire possint. Sed digi-  
tum hic intendisse sufficiat, nam deductionem exactiorem  
nec instituti, nec temporis nec præli currentis ratio permittit.



Π Α Ρ Ε Ρ Γ Α.

1. **C**ivitas Imperiali non competit jus inducias moratorias concedendi.
2. Rescriptum moratorium Compensationem, quæ ex causâ liquidâ opponitur, non excludit.
3. Si durante dilatione primâ, à creditoribus forte concessâ, secunda à principe ex justâ causa fuerit indulta, posterioris cursum, à die finitæ dilationis prioris computandum arbitramur.
4. Si civitas Imperij moratorium ab Imperatore ad octennium ac post-  
ea prorogationem ejusdem ad biennium impetravit, disertè autem in mo-  
ratorio primo loco concessa protestata est, se eo ad retardanda debita ex pijs  
causis non usuram & tamen nihilominus creditoribus ejusmodi privilegia-  
tis non tantum sortem cum usuris solvere, sed & idoneâ cautionē concede-  
re detrectet, rectè contra cives ac bona civitatis arresta decerni statuimus.
5. Jus protectionis Patrono nullam in clientes tribuit Iurisdictionem  
aut superioritatem, vulgò: Schutz und Schirm gibe keine Dbrigkeit.
6. Mechanicorum ac opificum illa consuetudo, in civitatibus quibus-  
dam Saxonie potissimum vicens, quâ ex tribubus & collegiis suis rejiciunt

D 3

liberos

125



*liberos Molitorum, Opilionum, Tubicinum, Textorum, Barbitonfarum, & c. improbanda est.*

7. *Imperator cum Statibus Imperij, Pontifice inconsulto, de bono publico potest deliberare, concludere ac pacem firmare, prout nuper a pacificatione Osnabrugo-Monasteriensis satis docuit.*

8. *In foro conscientiae tutus esse potest, qui justo tempore legitime praescripsit, quamvis elapso tempore, scientia aliena quondam rei superveniat.*

9. *Fides data servanda est etiam hosti, etiam haeretico.*

10. *Tutela Electoralis testamentaria praefertur legitime.*

11. *Imperatorem Romanum nunquam totius orbis terrarum Dominum fuisse, contra Bartolum adstruimus.*

12. *Voluntas proprie loquendo cogi non potest. Quando autem Icti voluntatem coactam dicunt, conferunt statum hominis cui vis infertur, cum statu ejus, qui suo arbitrio faciendi quod velit, relictus est, qui istud remoto metu & vi nunquam esset facturus: Etenim ipse Aristoteles 3. Ethic. 1. actiones metu extortas appellat mixtas, ex invito & voluntario.*

## DN. CANDIDATUS AD LECTOREM.

**T** *Ardius ad summos cur tendam, quæris, honores?*

*In promptu causa est: Sat citò quod benè fit.  
Sat citò quod benè fit, simul & ratione monente,* (RÆ.

*Parva sepè fovent commoda magna MO-*

In honorem Clariss. Dn. Candid. adjecit

P R A E S E S.

ACRO-



---

 ACROSTICHS.
 

---

**L**audē honā teneram trivit quicumque *Juventam*  
**V**ixit & in doctis non sine laude libris:  
**D**ignus honorū amplo, quādo est *vir factus*, habetur,  
**O**mnibus atque bonis hīc cumulandus erit.  
**L**aus tua præ multis *nota est*, *Affinis amande*,  
**P**ræclaris *palmam præripis ipse viris*.  
**H**inc meritò summos tibi nemo recusat honores  
**U**troque in Jure! *ast si facienda facis*.  
**S**candē igitur *Themidos* forti nunc *pulpita* mente  
**E**RNESTINA colit quæ modò more sacro  
**V**inces, assistente **D**E O, validissima tela,  
**E**vades **D**OCTOR juris in arte sagax.  
**R**in *thelium* repetas quæso nunc *oscine fausto*,  
**S**alvus & ad patrios tute redito Lares !

*Ita Clarissimo & Eximio*

DN. CANDIDATO, Affini & Fau-  
 tori suo jugiter colendo ex intimo  
 cordis affectu applaudit

**JUSTUS OLDEKOP** Schol.  
*Andr. Hildes. SubConR.*

F I N I S.

INSCRIPCIÓN

I. In nomine domini Amen.   
 V. In die & in loco non sancto laudibus   
 D. Ignatius de Loyola, quibus est in   
 O. manibus et que bonis hic curandus   
 L. cum tu per mundum est.   
 P. tractatus per in ipse   
 H. in mento suntos tibi deo recular   
 U. in in   
 S.   
 F.   
 V. in   
 E.   
 R.   
 S.

Inclinatione


DR. CANDIDATO   
 cordis   
 cordis

FORTIS   
 Andr.

F. I. S.








Rünteln, Diss., 1624-60

ULB Halle

3

003 615 197




5b.

KOM







B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

ridica Inauguralis

DE

RIPTIS

TORIIS,

lem Conclusionum

practicabilium

UAM

SPERANTE

e Magnifici & Nobilissimi

emia Hasso-Cassellanâ Schaumburgicâ

ESIDE

Consultissimo Viro

E MARTINO

& Professore publico,

tore suo observando

ivilegiis, Honoribus ac Insignibus

bus consequendis

SVRAE SVBMITTIT

Goers / Hildesienfis,

orio Jctorum

toris ante & pomeridianis.



AD VISURGIM,

CIVS, Academiae Typographus,

clo loc LL

ilud Brand.

ad 17. 8. 1360

214

5

1651, 7.

175